



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

476. An absolvere possit ab excommunicatione aliisque censuris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

videtur id ipsum competere quoque Capitulo sede vacante. Nequaquam tamen ad actualem illam & solennem Clerici degradationem (qualis dicitur, quando Clericus non solum per sententiam privatur, sed etiam personaliter & actualiter degradatur, exiuitur, & spoliatur Ordinibus ecclesiasticis, Sbroz. loc. cit. n. 4. cuius modum ponit Trident. loc. cit. & cuius quoque degradationis formam vide apud Foller, in pr. crim. canonic. p. 3. iud. Tir. ersti confessi & convicti. num. 15. & 16. hanc enim per ipsum Episcopum fieri vult Tridentinum loc. cit. & sic videtur, ea esse Ordinis episcopalis; quod ipsam aliqui tradunt de degradatione seu depositione verbali apud Sbroz. loc. cit. num. 6.

6. Item contra secularès sibi subiectos ad pœnam capituli, ubi Episcopus præter episcopalem habebat & hanc supremam jurisdictionem suo episcopatu annexam; idque conformiter dictis supra ex Pirh. loc. cit. n. 45. in fine; nempe, quod si Episcopus decedens habebat quoque temporalem jurisdictionem respectu secularium tam in civilibus quam criminalibus, succedat in hac quoque jurisdictione Capitulum.

Quæstio 473. An Capitulum sede vacante possit tam suos quam defuncti Episcopi Officiales syndicare.

R Esp. Potest per se, vel suum Vicariũ syndicare. Officialès tam suos quam defuncti episcopi. Syndicare enim (quod aliud nihil significat, quam examinare, in mores alicujus, vel acta inquirere, notare, censurâ carperè. Carolus du Fresne in glossario ad media & infim. latinis. scriptor.) est actus jurisdictionis. Barbof. Jur. eccles. l. 1. c. 32. n. 102. citans Paris. Puteo tr. de syndicat. rubric. de off. synd. num. 9. Et in illo proceditur tam ex officio quam ad instantiam parisi. In jurisdictionalibus autem succedit Capitulum. Barbof. loc. cit. exercendis etiam contra eos, contra quos jurisdictionem suam ordinariam exercere poterat Episcopus. Et de Fiscali defuncti, quod eum syndicare possit Capitulum sede vacante, tradit Fagn. in c. his quæ. num. 52. Sic posse Capitulum non expectato Episcopo successore rationem exigere à suo Vicario capitulari, & aliis Officialibus suis, eosque pro modo culpæ punire, tradit Garc. juxta S. Congregat. declarat. p. 5. c. 7. num. 23. & ex eo Ventrigl. tom. 2. annot. 15. §. 2. n. 52. Porro qualiter Capitulum ejusque Vicarius possit syndicari ab Episcopo successore, & compelli ad rationes dandas, & puniri, dicitur ad finem hujus tract.

Quæstio 474. An, & qualiter Capitulum sede vacante possit cognoscere de causis suspicionum, quæ contra suum Vicarium proponuntur?

R Esp. Non posse Capitulum eligere arbitros ad cognoscendum de dictis causis, sed debere de iis cognoscere per seipsum, tradit Fagn. in c. his quæ. de major. & obed. n. 76. idem ex declaratione S. Congregation. tradit Garc. de benef. p. 5. c. 7. n. 23. Contrarium tamen tradit Ventrigl. tom. 2. annot. 15. §. 2. n. 36. ubi: quando Vicarius Capituli allegatur suspectus, recurrendum est ad ipsum Capitulum, quod vel potest eligere arbitros ad cognoscendum de causis suspicionum, quæ pro-

ponuntur eo modo, quo Episcopus vivens cognoscit de causis suspicionum sui Vicarii, prout declaravit S. Congreg. vel per seipsum absque electione arbitratorum; ut similiter potest Episcopus per seipsum cognoscere de suspicionem sui Vicarii, ut videre est apud Sbroz. de Vicar. Episc. l. 3. q. 16. quem vide, & quæ de eo dicuntur in hoc puncto de Episcopo, & illius Vicario, applica ad Capitulum sede vacante, & ejus Vicarium. Quod si autem causa suspicionum, ob quæ recutatur Vicarius, militare se subsistere inventantur, potest Capitulum quin & tenetur causam, circa quam allegatur suspectus Vicarius, committere, seu delegare alteri. Ventrigl. loc. cit. citans Meroll. tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 33. num. 322.

Quæstio 475. Num Capitulum sede vacante possit ferre censuras, & nominatim an possit excommunicare, suspendere, interdicere?

i. R Esp. ad primum: potest infligere censuras, quatenus id poterat Episcopus defunctus. Barbof. loc. cit. num. 65. citans Naver. in man. c. 27. num. 5. Molin. ubi ante. Gl. & DD. in c. ad abolendam. de hæret.

2. Resp. secundò in specie: potest excommunicare, quatenus id poterat Episcopus. Barbof. cit. num. 65. Pirh. num. 46. ubi; quod Capitulum succedat Episcopo in potestate excommunicandi, citans Franch. in c. unic. de major. & obed. in 6. num. 1. Quarant. & c. Fagn. in c. his quæ. num. 49. Quamvis is addat, non posse tamen Capitulum anathematizare, id est excommunicare cum solennitate; de qua in c. debent. 11. q. 3. pro quò citat Jo. de Anan. in c. his quæ. n. 2.

3. Tertio potest suspendere ab officio & beneficio. Barbof. loc. cit. num. 80. Pirh. num. 46. Sbroz. l. 2. q. 182. num. 7. quamvis is n. 5. & 6. dicat, suspensionem perpetuam, & diurnam secundum Innoc. & Abb. in c. ad hæc. de off. Archiep. esse de arduis, ita ut etiam Episcopus eam ferre non possit sine Capitulo.

4. Potest etiam interdicere. Barbof. cit. n. 80. citato Pavio. p. 2. q. 6. Rebuff. in pr. benef. tit. de devolut. n. 63. Sbroz. ubi ante.

Quæstio 476. Vtrum absolvere quoque possit ab excommunicatione aliisque censuris?

i. R Esp. Potest Capitulum (vel is, ad quem tunc spectat jurisdicatio) absolvere ab excommunicatione, à qua poterat absolvere Episcopus, nisi ei fuerit specialiter à Sede Apostolica interdicta hæc potestas. Fagn. cit. n. 49. Ventrigl. loc. cit. num. 16. Pirh. num. 46. (qui etiam addit, idem esse, si ve ecclesia verè vacet, si ve quasi vacet, ut quia Episcopus à Paganis ductus in captivitatem.) Barbof. loc. cit. n. 62. citans Rebuff. ubi ante. n. 6. Sylv. in sum. v. Capitulum. §. 2. Suar. tom. 5. d. 7. f. 2. & c. cum communi juxta c. unic. de major. & obed. in 6. Absolvere enim ab excommunicatione est actus jurisdictionis, non Ordinis episcopalis, Capitulumque sede vacante vices Episcopi gerit: Episcopus verò absolvere potest à quolibet excommunicatione juris, cujus absolutio non est reservata Papæ, c. nuper. de sentent. excomm. & ejusdem potestatis est ligare, & solvere; & qui potest unum, regulariter potest &

alte-

& alterum. Pith. loc. cit. argumento c. cum inferior. de major. & obed. & ibi Gl. Poterit itaque absolvere Capitulum ab excommunicatione tam lata à jure (v.g. ob percussione Clerici, ut Barbof. saltem levem, ut Pith) quam ab homine, v.g. à defuncto Episcopo, vel ejus Vicario, aut delegato, vel Archidiacono, &c. Pith. loc. cit. Barbof. n. 65. Ventrigl. loc. cit. citans Dianam p. 8. resol. 17. Meroll. &c. Porro posse Capitulum non solum per Vicarium suum absolvere excommunicatum tam à jure quam ab homine; sed hunc quoque posse instituire confessarium, qui illos absolvat, tradit Azor. Inst. mor. l. 3. c. 37. q. 16.

2. Potest quoque absolvere ab aliis censuris, à quibus absolvere poterat Episcopus. Barbof. cit. n. 65. citans Molin. de Inst. tract. 5. d. 11. n. 6. Navar. in man. c. 27. n. 5. juxta abolendam. de heret. & ibi AA. Possit quoque Capitulum absolvere, sicut poterat Episcopus, etià extra mortis articulum omnes impeditos recurrere ad Sedem Apostolicam à censuris quibuscumque, Sedi apostolica reservatis, etiam contractis ob hæresim, contentisque in Bulla exco. & hoc etiam de jure novo, non obstante decreto Clem. VIII. ea nimirum ratione, quam communiter afferunt AA. ne reservatio, quæ pro bono caritatis est inventa, contra caritatem vergat in periculum animarum, tradit Ventrigl. loc. cit. n. 18. ex Leonard Duardo (quem mirificè commendat) ad Bull. Cana. l. 3. §. 2. concl. 3. n. 45. & seg. & Tambur. de jure Abbatiss. d. 16. q. 8. n. 8. Sic etiam in specie potest absolvere ab omnibus suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, & non deductis ad forum contentiosum quoscumque; sibi subditos; hæc enim potestas concessa est Episcopis per Trident. sess. 24. c. 6. & ea transit ad Capitulum sede vacante juxta dicenda quæst. seq.

Quæstio 477. An quoque absolvere possit à casibus papalibus, & episcopalibus?

1. **R**esp. ad primum; Potest à quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolica reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi sua in foro conscientie absolvere, imposita penitentia salutari. Id ipsum enim conceditur Episcopis à Tridentino loc. cit. transitque pari modo in Capitulum sede vacante. Pith. n. 45. Ventrigl. loc. cit. n. 15. Laym. in c. quoniam, de off. & potest. iud. delegat. num. 1. citans Felin. in c. eam te. num. 17. de rescript. Rodriq. qq. regul. tom. 1. q. 61. num. 9. Sanch. de matrim. l. 8. d. 61. num. 10. Barbof. loc. cit. num. 2. Garc. p. 5. c. 7. num. 41. contra Suar. in 3. p. tom. 4. d. 41. §. 2. num. 13. & Bonacin. de censur. d. 7. q. 5. p. 1. n. 6. citatòsque ab eo Alterium, Filiuc, &c. Si enim ea, quæ speciali jure delegata sunt Episcopis, transeant in ordinariam eorum jurisdictionem, qualiter in eam transit hæc potestas absolvendi, transeunt quoque ad Capitulum sede vacante. Laym. loc. cit. juxta dicta à nobis supra. Et sic in specie quoque posse absolvere Capitulum ab hæresi in foro conscientie, uti hæc potestas quoque collata Episcopis à Trident. loc. cit. tanquam probabilius tenet Garc. p. 7. c. 11. n. 22. Ventrigl. loc. cit. citatque ab eo Barbof. de Canon. & Dignitat. c. 42. n. 82. (qui etiam testatur num. 62. pro hac opinione steterit S. Congregat. Concil. 3. Decembr. 1633.) Dian. Resolut. mor. p. 7. tr. 2. resolut. 3. & p. 8. tr. resolut. 7. Meroll. tom. 2. c. 6. & tom. 3. c. 7. num. 51. contra Ledesm. in sum. 2. p.

tit. 1. c. 61. concl. 20. difficult. 2. apud Garciam loc. cit. Neque obstant verba Concilii loc. cit. Idem (nempe absolvere) in hæresi crimine in eadem foro conscientie eis tantum (nempe Episcopis) & non eorum Vicariis sit permissum. Neque enim Capitulum sede vacante est propriè Vicarius Episcopi; sed eandem Episcopi potestatem habet juxta dicta à nobis supra; & Vicarius Capituli eandem Capituli jurisdictionem habet; quia Capitulum suam jurisdictionem per Vicarium exercet. Et sic diluitur potissima ratio Ledesmæ; nempe quòd concedatur Episcopis absolvere ab hæresi per se ipsos; Capitulum autem non possit per se ipsum absolvere; quia suam jurisdictionem debet exercere per suum Vicarium; & is Vicarius loco Episcopi per se ipsum debet absolvere, & ad eum sine speciali commissione transit illa facultas. Garc. cit. n. 22. in fine.

2. **R**esp. ad secundum: Potest quoque absolvere ab omnibus casibus Episcopo reservatis. Ventrigl. loc. cit. num. 16. citans Pavin. p. 1. q. 5. Molin. ubi ante. Azor. Inst. mor. l. 3. c. 37. q. 16. Sequitur à fortiori ex responsione præcedente. Neque solum potest id Vicarius Capituli per se; sed potest quoque eandem potestatem concedere alteri. Dian. p. 8. tract. 4. resolut. 47. ex Molin. loc. paulò post citando. Ventrigl. num. 16. citans pro hoc quoque Molinam. Sic ait Azor. loc. cit. potest Capitulum instituire Confessarium, qui absolvat à casibus Episcopo reservatis, citans pro hoc Abb. in c. cum olim. & c. his quæ de major. & obed. Pavin. p. 1. q. 7. n. 4. Barbof. lur. eccles. l. 1. c. 32. n. 64. quia potest concedere facultatem absolvendi ab omnibus casibus Episcopo reservatis. Barbof. ibidem citans Molin. de Inst. tract. 5. d. 11. n. 5. Pavin. ubi ante. q. 5. Subjungit idem Azor, posse Capitulum reservare casus, quos possit Episcopus; cum is sit actus jurisdictionis, citat pro hoc Pavin. loc. cit.

Quæstio 478. Num Capitulum sede vacante possit dispensare in irregularitatibus?

1. **R**esp. posse dispensare in irregularitatibus, in quibus potest Episcopus; quin & dispensare in irregularitatibus omnibus ex occulto delicto provenientibus, excepta eà, quæ oritur ex homicidio voluntario; hoc enim ipsum concessum est pari modo Episcopis à Trident. loc. cit. Ventrigl. cit. n. 15. Pith. n. 25. Barbof. loc. cit. n. 82.

2. Porro circa potestatem illam absolvendi, & dispensandi concessam Episcopis per dictum Tridentini decretum notanda sunt sequentia: Primò facultate illa uti non posse Episcopos regionum illarum, in quibus receptum non est Tridentinum, uti censent S. Congr. Concil. Garc. cit. c. 11. n. 23. & consequenter juri neque id poterunt Capitula regionum illarum sede vacante.

3. Secundò: quòd in illo Decreto Concilii non comprehenduntur inferiores Prælati habentes jurisdictionem ordinariam, & quasi episcopalem, etiam nullius diœcesis, adeoq; nec in diœcesi nec de diœcesi. Idem est de Prælati exemptis, qui etsi non sint de diœcesi, sunt tamen in diœcesi (quam differentiam interesse nullius diœcesis, & esse exemptum à jurisdictione diœcesani, ponit Rota Decis. 207. p. 2. divers. apud Garciam loc. cit. n. 16.) facultas enim illa, cum sit jure speciali & exorbitante à jure communis concessa Episcopis, intelligi debet de Episcopis propriè & verè talibus, & non